(14.)

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

QUÆDAM DE

CHOLERA INDIÆ EPIDEMICA

COMPLECTENS.

Multum egerunt qui ante nos fuere, sed non peregerunt. Multum adhuc restat operis multumque restabit. Neque ulli post millia secula nato præcidatur occasio aliquid adhuc adjiciendi.

Cæterum quantacunque fuerint aliorum conamina, semper existimavi mihi vitalis auræ usum frustra datum fore, nisi et ipsi in hoc studio versatus, symbolum aliquod, utcumque exiguum, in commune Medicinæ ærarium contribuerem.

SYDENHAMUS.

To Dr James Woodforde
With the best wishes of
his friend

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
QUÆDAM DE
CHOLERA INDIÆ EPIDEMICA
COMPLECTENS;

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER CAMPBELL DUNCAN,

Bengalensis,

ACAD. JAC. VI. A.M.

COLL. REG. CHIR. EDIN. PERMISSUS;

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. PRÆSES ANNUUS;

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. ORDIN.

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

VIRIS PERHONORABILIBUS,

GEORGIO CANNING,

CAROLO W. W. WYNN,

ET

ALEXANDRO CAMPBELL,

S. P. D.

ALEXANDER CAMPBELL DUNCAN.

Accipite sed faciles, Viri clarissimi, has studiorum primitias, non ut nominibus vestris consulent, nam tali auxilio haud egent, sed ut grati animi testimonium, propter beneficia in me meosque collata, palam profiteri liceat.

Ut omnia Vobis fausta et felicia contingant; ut diu populo læti intersitis; ut seri ad cœlum redeatis, dat Deus Optimus Maximus.

Edinburgi,
Ipsis Kal. Aug. MDCCCXXV.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

QUÆDAM DE

CHOLERA INDIÆ EPIDEMICA

COMPLECTENS.

Auctore ALEXANDRO CAMPBELL DUNCAN.

PROŒMIUM.

STUDIORUM curriculo in illustri Academia Edinensi rite peracto, nunc summos in Medicina honores attingere liceat. Statutis ejus solennibus candidatos diligentiæ specimen eruditorum examini subjicere oportet. De morbo in regionibus orientalibus, ubi primo spiritum recepi vitalem, gravissimo quidem, Cholera nempe Epidemica, observa-

tiones nonnullas in medio proferre decrevi. Hunc morbum quidem nunquam vidi; ex aliorum autem copia inopiam meam sublevavi, et quod experientia defuit diligentia saltem et sedulitate id compensare adnixus sum.

DE DEFINITIONE.

Genus Cholera in Classe *Neurosium,* Ordineque *Spasmorum,* a Professore Almæ nostræ Academiæ celeberrimo CULLENO, positum est; et his verbis definitur: "Humoris biliosi vomitus, ejusdemque simul dejectio frequens, anxietas, tormina, surarum spasmata *."

Sub hoc genere duas enumeravit species, Spontanea et Accidentalis: sub eodem autem genere celeberrimus SAUVAGESIUS †, multas enumeravit species, et inter alia speciem septimam Choleram Indicam nominavit. Hæc species a Domino

---

* CULLENI Synopsis Nosologiæ Methodicæ, gen. lx.

† SAUVAGESII Nosologia Methodica.

CURTIS *, anno 1807, sub nomine Choleræ Spasmodicæ, descripta est, veteribus autem non ignotum fuisse auctoribus videtur. CELSUS enim BONTIUS aliique veteres scriptores morbum haud multum absimilem designant. Priores etiam in India Orientali medici, Choleram epidemicam bene noverunt, et in scriptis suis linguâ propriâ traditis nomine gaudet *Sitanga* †.

Attentionem autem medicorum Britannicorum ab anno 1817, ob lethales ejus effectus, præcipue sibi vindicavit. In India Orientali plerumque se ostendit, et eum quidem huic regioni proprium esse multi existimant. Alii autem aliter putant, et inter hos CURTIS sententiam suam his verbis tradit: " Since returning to Europe, I have had occasion to see many cases of the disease called in India *Mort de chien*, similar in all respects to those we had at Tricomalée, only that they were much milder, and attended with less collapse of the vires naturæ. The spasms

* CURTIS on the Diseases of India.

† SCOTT'S Report on the Epidemic Cholera, Madras, 1824, p. iii.

were exactly of the same kind, but confined to the feet, legs and thighs *." Sed tamen si unquam se in Europâ prodit, nunquam aut tam lethale aut epidemice grassatus est.

Ut definitio celeberrimi CULLENI haud satis huic speciei respondet, his verbis fortasse melius definiri possit: "*Morbus epidemicus subito adoriens, mira prostratio virium: dejectiones et vomitiones aquosæ subalbidæ; anxietas, tormina, spasmi; pulsus parvus, debilis, vix sentiendus; urina parcissima.*"

DE MORBI HISTORIA.

Cholera epidemica primo cum languore, lassitudine, et ventriculi intestinorumque molestiâ, ægrum adoritur; hanc subito fluxus materiei, serosæ albidæve, et chymo haud multum absimilis, sequitur. Prostratio virium summa est; cordis et arteriarum vis minuitur, penitusve quiescit;

* CURTIS on the Diseases of India, p. .

vultus anxietatem gravissimam indicat, ita ut sibi nomen proprium, "*the cholera countenance,*" meruerit. Spasmi musculos omnes violenter occupant, e cute toto gelidus viscosusque sudor erumpit, eodemque tempore æger veluti igni interno consumitur. Pulsus debilis, parvus, et ne vix quidem percipiendus est. Sitis vehementer urget, et tantum est potionis desiderium, ut ministri ægrum ne aquam frigidam bibat protinusque se sic interimat vix prohibere possint. Lingua albida est, vel tunicam coriaceam ostendit: non raro autem nitida, et in quibusdam exemplis quasi cremore aspergitur. Respiratio magis magisque progrediente morbo laborat, et ex Doctoris JOHANNIS DAVY * experimentis, non plus tertia parte acidi carbonici soliti aër expiratus continet. Tinnitus aurium surditasque ægrum vexant. Sanguis aut ex arteriâ aut venâ missa, nigra spissaque et pici liquidæ haud multum absimilis est. Delirium, coma vel convulsiones superveniunt, et parvo temporis intervallo de ægro actum est.

---

* Dr J. DAVY'S Report on the Cholera of Ceylon.

Quanquam hæc signa nunc enumerata plerumque sese ostendunt, multis tamen varietatibus, variis ex causis obnoxia sunt. Quum morbus gravissime urget, fluxus alvi plerumque nullus est, et ex hoc multi judicavere morbum sub genere Choleræ non rite locari debere, quia in cholera vomitus et dejectio frequens humoris biliosi semper adesse debuit. Sed hoc testimonium non satis firmum esse videtur ; si enim morbus non tam gravis sit, fluxus augetur, et biliosam speciem habet, quod plane quidem indicare videtur, hos affectus inter se non in naturâ sed in gradu solum distare. Eodem modo, quanquam spasmi plerumque validi sunt, et omnes corporis musculos occupant, nonnunquam tamen penitus absunt. Idem quoque de omnibus fere aliis dici possit signis. Diutius igitur de hac re morari haud oportet.

DE DIAGNOSI.

Morbus signa tam manifesta ostendit, ut vix cum ullo alio confundi possit ; sed ut quidam

ei quodammodo proximi sunt, diagnosin inter eos ostendere oportet.

Colica, diarrhœa, dysenteria, et tetanus, præcipui sunt morbi qui cum eo similitudinem habent.

Colica plerumque distinguitur, alvi constrictione, spasmis quosdam musculos abdominales scilicet solum afficientibus, dolore epigastrii manu premente diminuto, et pulsus statu.

Diarrhœa differt in dejectionum aspectu, spasmorum et vomitus absentiâ.

Dysenteria distat in febre præeunte, spasmorum absentiâ, et pulsus statu.

Diagnosis inter Choleram et Tetanum, præcipue pendet ex spasmis, qui in hoc tonici, in illo autem clonici sunt. His addendum est tetanum sæpissime robustos et plethoricos afficere, et ex causa evidente oriri.

DE PROGNOSI.

Nullus fere morbus prognosin infaustiorem quam hic prodit, et in omnibus exemplis valde est metuenda.

Signa, quæ exitum felicem indicant, ex habitu corporis pleno, dejectionum aspectu bilioso, spasmis lenibus, haud frequenter recurrentibus, morbo recenti, virium prostratione parvâ, et pulsu non multum affecto, deducuntur.

Contra autem, longa morbi duratio, dejectiones aut nullæ aut cito post aspectum cessantes; spasmi validi et frequentes; virium prostratio summa; pulsus debilis, habitus corporis pravus vel intemperantiâ debilitatus, delirium, stupor, coma, et convulsiones, exitum infaustissimum denotant.

DE CADAVERUM INSPECTIONE.

Omnia signa quæ sese sectis cadaveribus ostendunt, congestionem sanguinis summam in partibus corporis internis indicant. Vasa cerebri turgida sunt, et humor nonnunquam in ventriculos effunditur: Pulmones nigro implentur sanguine, et mollitie plerumque afficiuntur. Cor totum, sed auricula ejus dextra præcipue, sanguine atro turget, et mollius quam in naturali ejus conditione

esse videtur, effusione humoris in pericardium comitante. Vasa magna sanguine ultra modum laborant, et tunicæ eorum internæ speciem inflammationis ex numero vasorum præbent. Ventriculus, fere nihil nisi pabulum continet crudum, sed aliquando materies flavi viridisve coloris ibi invenitur. Hepar nonnunquam magnitudine augetur, et vasa ejus multo abundant sanguine. Vesicula fellis haud multum afficitur; nunc tamen felle impletur, nunc contra fere vacua est. Lien sæpe ingentis est magnitudinis, sæpius autem naturalem exhibet speciem. Mesenteriæ vasa, ex magnitudine numeroque, veluti arte injecta fuisse videntur. Intestina fere aëre implentur, et chymam, vermes, humoremve serosam ei vita præstante per dejectiones missæ similem, continent; raro autem fel invenitur. Vesica urinaria multum constringitur, mucoque albido abundat. Musculi abdominales, secundum Doctorem Johannem Davy *, molliores solito et perrubri sunt coloris, sed nunquam ad inflammationem spectant. Hæc præcipua sunt signa quæ post

---

* Davy's Report on the Cholera of Ceylon

mortem observantur; sed naturam morbi indicare haud multum præstant, pleraque enim eorum sequelæ potius quam causæ morbi esse videntur.

DE CAUSA PROXIMA.

Omnes fere auctores inter se consentiunt, hunc morbum ex quodam systematis nervosi affectu pendere, qui plane spasmis, subito collapsu, dolore capitis ad situm cerebelli referto, surditate, aliisque hujusmodi signis, indicatur. De natura autem ejus nihil adhuc comprobatum est, et fortasse semper eam nesciemus, quippe nullam habemus artem quâ eam investigare possumus.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

Omnes eæ causæ quæ vires corporis minuunt; nempe intemperantia, cœli mutationes, morborum adortus recentes, affectus animi deprimentes, huic morbo proclivitatem gignere videntur.

Morbus etiam pueros potius quam adultos, et fœminas, quam mares, adoriri dicitur; sed secundum Dominum England, infantes penitus immunes sunt*. Videretur etiam ut alvi solutio, solito majus corpus morbo opportunum reddit; usum enim purgantium, sed salium præcipue neutralium, sequi nonnunquam visus est.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Multæ, variæque de hac re inter medicos versantur sententiæ. Vetustissima est secretionem fellis, vel auctam vel potius depravatam, causam esse excitantem morbi. Paisley princeps inter eos qui hanc complectunt opinionem, his loquitur verbis: " This disorder originates in the liver. The secretions are disordered. The bile becomes alter-

---

* " I have seen several young infants who were confined to the nourishment at the breast, and exposed in common to all exterior agencies with their mothers, lying in perfect health, close to the latter, who were expiring in the agonies of the cholera."—*Madras Reports*, p. 169.

ed in quality and consistence, and the digestion is impaired, until the foundation of some illness is laid. An accumulation of gelatinous stuff takes place in the flexures of the duodenum and colon, which locks up putrid bile, until some additional cause sets it in motion. Bleak winds, dews, and unsalutary exhalations from cold, unventilated and damp situations, give a sudden check to perspiration, and set in motion this latent mischief." Et iterum dicit: "But when it is epidemic, it is totally a disease of highly putrid bile, which operates on the system as a poison, and brings on sudden prostration of strength, and spasms over the whole surface of the body *."

Plerique autem recentiorum auctorum huic sententiæ non favent. Princeps inter eos vir doctissimus JACOBUS JOHNSTON ei obstare conatur; et suam in his verbis tradit opinionem: "Now it does appear somewhat curious to me, that if an increased secretion of bile were the cause of the disease, we should see nothing of it till a few hours after the effects have become obvious.

* CURTIS on the Diseases of India, p. 86.

Where is the increased action all the time? Not in the stomach, for it discharges its contents, and rejects what is swallowed long before. It is not in the intestines, for the stools are at first thin and watery. At length pure bile makes its appearance, and lo! it has been accused of being the cause of all. Finally, this same pure bile frightens the bystanders, and kills the patient in twenty-four hours. Monstrous supposition *!" Ille quidem multa alia in eandem rem pertinentia protulit, sed de his non diutius morari volo; eos qui ejus sententiam altius investigare cupiant ad librum suum refero.

Sunt qui putent morbum ab uno ad alterum hominem per contagionem vehi, et hoc certe negari non potest, multa enim hujusmodi narrantur exempla. Sed ut non desunt etiam exempla in quibus non hoc modo vectus fuit, scilicet ubi nosocomiorum ministri qui huic morbo, si vere contagiosus esset, valde opportuni fuissent, non affecti fuerunt, pro occasionali potius quam generali hoc habere causa debemus.

---

* Johnston "On Warm Climates."

Tertia sententia est, ex pravâ aëris conditione, e quodam miasmate oriente, pendere morbum. Multa potui ad hanc rem demonstrandam proferre exempla, sed quædam solum a Domino GIBSON, Legionis LXIX. chirurgo, hic proferam. Ille his verbis loquitur: "I had ninety-two admissions, and increased the establishment of servants to double: I lived in the hospital amidst the sick, day and night, and yet neither I nor any of the servants got the disease; but the hospital-serjeant's wife, living in a retired room, not near any disease, had a severe attack. The disease came on suddenly, with a hot land wind, and went off as suddenly when it ceased. At my suggestion, that wing of the regiment in which the disease prevailed the most, was encamped on a piece of high ground in the neighbourhood, and not a case came in from camp, although every intercourse was kept up between it and the barracks. No steps were taken to prevent contagion when this wing of the regiment returned to the same barracks, and yet no cholera has since been heard of *."

* SCOTT's Madras Reports.

Hoc mihi exemplum clare ostendere videtur, morbum ex quâdam aëris conditione pendere. Nullâ enim aliâ, ut credo, explicare possumus ratione, cur morbus ex sedis mutatione sistaretur, dum idem quod antea, inter arcem et castra, commercium fuit. Videtur etiam, in hoc exemplo, morbum vento quodam eo tempore sufflante, ortum esse. Possit certe dici, morbum hoc modo ex partibus vicinis vectum fuisse; sed tamen difficile est intelligere, quomodo, hoc vento cessante, evanuisset morbus. Si enim vere contagiosus fuisset, non sic affici debuisset. Ex his mihi persuasum est, morbum plerumque epidemicum, nonnunquam autem contagiosum esse.

Doctus TYTLER, Bengalensis medicus *, aliam proponit sententiam, nempe, choleram ex malâ Oryzæ specie pendere. Sed quanquam hoc in quibusdam exemplis causam morbi fuisse concedere possumus, non certe ad multa extendi potest; plurima enim enumerantur exempla ubi morbus sine ejus usu se ostendit, et ubi oryza omnino sana abunde adfuit.

---

* TYTLER's Remarks on the Morbus Oryzeus, p. 40.

DE MEDENDI RATIONE.

Ut morbus ad finem tam cito spectat lethalem, curatione quam citissimâ validissimâque uti necessarium est. Multum certe in omnibus fere morbis spei nostræ ex tempore quo remediis utimur pendet. Sed in nullo alio fortasse hoc verius dici possit quam in Cholerâ Epidemicâ. Satis enim nos comprobatum est, si ei in initio oppungemus, multo facilius certiusque superaturos, quam si jamdiu accesserit. Omnes quidem fere inter se consentiunt medici, causam morbi adhuc tam infeliciter tractati, ad spatium temporis quod ægri, antequam ad medicum confugiunt, dilabi sinunt, referendam esse.

Remedia igitur ea sunt præcipue quæ in medicina plurimum valere putantur, nempe stimulantia, antispasmodica, missio sanguinis, aliaque. Sed de his ex observationibus nuperrime in diversis Indiæ Orientalis partibus editis, pauca dicere liceat.

Stimulantia.—Omnia hujusmodi remedia, ea autem præcipue stimulantia diffusibilia nominata, multum in hoc morbo valent, et clare functionum respirationis circulationisque vi minùta indicantur. Tempus autem in quo eis uti licet perbreve est, et multum in eorum usu curæ adhibendum est, ne nimium reactionis excitetur. Videntur præcipue vim cordis et arteriarum adaugendo, et ita congestionem sanguinis internam tollendo, agere. Aqua Ammoniæ, Æther Sulphuricus, Olea Volatilia, Vinum, et frictiones assidue cum pannis laneis, aut siccis aut Oleo Terebinthinæ madidis, propria sunt remedia stimulantia quæ in hoc morbo usurpantur.

Missio sanguinis.—Hoc remedium largâ adhibetur manu, et a multis laudatur medicis. Nonnulli autem eam reprehendunt, quia metuunt ne hoc modo vis corporis, jam satis minuta, plus minuatur, et ne syncope fatalis inducatur; sed hic vanus esse metus videtur, quia virium prostratio non vera, sed contra omnino falsa est. Hinc post sanguinis missionem pulsus plerumque validior fit. Hoc fortasse non melius ostendere possum,

quam verbis Domini MACLEAN, Legionis LIII. chirurgi, utendo: "I have no hesitation in saying, that, even in the very last stage of the disease, in the robust European, and also in the enfeebled native, bleeding should form a principle in our treatment. No sinking of the pulse, or general appearance of debility, should deter us. They are the consequence of overaction, from an undue quantity of blood being thrown upon the abdominal and thoracic viscera, which are relieved by removing the cause. I am of opinion with Dr JACKSON, in saying, that, by diminishing the quantity of blood, you increase the power of the circulating system *." Haud quidem negandum est, in quibusdam exemplis post usum hujus remedii ægrum e vita excessisse; sed hoc certe contra sanguinis missionem non multum militat, quia in his exemplis morbus gravissime urgebat, et nullum fortasse potuisset valuisse remedium.

Opium.—Ex magnâ corporis irritabilitate quæ in hoc morbo se ostendit, opium plurimi momenti

---

* SCOTT's Madras Reports, 1824, pag. 270.

necessario remedium est, eoque ab omnibus avide usurpatur. Datur plerumque copiâ permagnâ, usque nempe ad grana quinque aut sex solidi opii, vel ad drachmas duas tresve tincturæ. Nonnunquam etiam sub formâ enematis cum multo exhibetur commodo.

Eodem consilio Camphora, Moschus, Myrrha, aliaque aliquando antispasmodica, exhibentur remedia; plerumque autem cum opio conjunguntur, ut vires sic augeantur. Præter generalem autem corporis irritabilitatem de quâ jam dixi, ventriculi irritabilitas sibi attentionem vindicat. Quum enim ægrum quod non raro fit plurimum vexat, tum ei obstare multum oportet, ut nihil vires corporis tam cito quam vomitus frangit continuus. Ad hoc faciendum nihil fortasse melius erit inventum, quam cum acido sulphurico opii conjunctio. Ut enim hoc in singultu vehementi remedium motus ventriculi abnormes cohibere plurimum valet, sic in hoc morbo vomitum sistere possit.

Hydrargyri præparata.—Submurias hydrargyri, vulgo Calomelas dictum, magnâ plerumque

copia, aut simplex aut sæpius cum opio conjunctum, exhibetur. Miros quidem effectus habere dicitur; secretiones quæ per totum morbi cursum penitus extinctæ fuerunt restituit, et circulationem sanguinis æqualem reddit. Exhibetur plerumque ad scrupulum plusve, et quanquam hoc permagnum esse videatur, nullum usum ejus incommodum sequi adhuc inventum est.

Emetica et Purgantia.—Non tam large ut antea hæc nunc usurpantur medicamenta, non multum enim eis opus esse videtur; sed tamen si aliquid irritamenti in ventriculo, aut intestinis, inesse suspicamur, tum eis uti necessarium erit, quam mitissima autem semper esse debent. Et tum vomitio, tum purgatio, potius diluentibus promovenda, quam medicamentis excitanda est.

Magnesia.—A primo morbi occursu Magnesia apud medicos plurimum usurpata fuit. Nemo autem laudes ejus vehementius quam Dr WHITELAW AINSLIE canit. Is enim causam morbi acidum quoddam in ventriculo esse putat, ideoque subcarbonatem Magnesiæ pro specifico fere habet.

Suis enim uti verbis: "By the use of this simple remedy, I mean the antacid, I hesitate not to say. that I have saved many hundred lives. And in support of this method of treating the disease, I could now ask one of the most distinguished physicians in London, whether or not he does not find the antacid just named an absolute specific in Cholera morbus, provided it is administered in time *." Is quidem non negat magnesiam apud alios non æque profuisse medicos, sed hoc ad conjunctionem ejus cum lacte refert, quia sub hâc formâ venenum et antidotum simul sumpta esse putat.

Acidum Sulphuricum.—Dum autem nonnulli Choleram epidemicam ab acido oriri putant, aliorum sententia est ut acidorum ope debellari possit. Hi enim sentiunt a bili vitiato in ventriculo quasi veneno agente oriri morbum, et hanc opinionem analogia inter symptomata hujus morbi, et ea usum Arsenici, Upas Antiar, aliorumque venenorum sequentia, quodammodo roborant. Pu-

---

* Ainslie on the Cholera morbus of India, p. 45.

tant igitur ut decompositione bilis, Acidi Sulphurici, Nitrici aliorumque ope, vim ejus noxiam devincere possumus. Si igitur Alkalina nihil valeant, Acida fortasse tentanda sunt *. Et quid tentare nocebit ?

Electricitas et Galvanismus.—Hæc a quibusdam multum laudantur auctoribus, et certe profuisse videntur. Non multum autem usurpantur, quanquam exempla in quibus profuere, usum latiorem indicarent.

Balneum calidum.—Quum vires corporis, ex sanguinis in partibus internis congestione, multum defecerint, pauca majoris sunt momenti remedia quam balneum calidum. Multo certius

---

* Ahiberi potest Acidum Sulphuricum sub sequentem formulam :

℞ Acidi Sulphurici diluti drachmam unam.
Aquæ Cinnamomi uncias sex. Misce.

Capiat æger unciam unam omni hora quadrante, urgente vomitu.

Hoc remedio, ut spero, in Cholera Indiæ epidemica, malorum lenimen obtinere possumus tuto, cito et jucunde.

citiusque, muriate sodæ aliisque rebus stimulantibus additis, agere invenietur. Plurimum etiam spasmos tollendo valet, et sub hoc nomine quidem primo exhibitum fuisse videtur.

Diœta et Regimen.—Diæta parca, sed eodem tempore nutriens et concoctionis facilis esse debet. Præcipue igitur ex jusculo bovino vel pullinari, ex sagone, oryzâ, aliisque constaret. Potus semper tepidus esse debet; quum enim frigidum æger incaute bibit, nonnunquam subito interemptus fuisse videtur. Si vires corporis multum defecerint, vinum exhibere utile erit.

Hoc tentamine finito, gratias summas Almæ hujus Academiæ Professoribus, quorum sub auspiciis literarum et medicinæ studio per sexennium incubui, agere liceat. Præsertim autem Avo meo amatissimo ANDREÆ DUNCAN seniori, cujus contubernio ab incunabilis fere usus sum, et qui, parentibus longe absentibus, Patris dilecti